

1335-1335- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Londonias Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capitulo generalis apud Londonias celebrati
 anno Domini · M° · CCC° · XXXV° .

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus sine licencia magistri ordinis speciali, addatur statim post et dicatur sic: nullus religiosus professus cuiuscumque alterius ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licencia magistri ordinis vel capituli generalis. Et volumus et ordinamus, quod istud medio tempore inviolabiliter observetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod in hymnulis beate virginis: Quem terra, et: O gloriosa domina adiungatur in fine immediate ante versum: Gloria tibi domine: Maria mater gracie. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc, quod de beato Marciali episcopo et confessore fiant tres lectiones · xvi · kalendas iulii; et magister ordinis de officio providebit. Et hec habet · ii · capitula.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum generalis et provincialis capituli, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: volumus tamen quod is, qui in precedenti capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi non valeat in anno diffinitorum proximo subsequenti. Et hec habet · ii · capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum ordo noster a suis primordiis propter eminentiam sciencie singulariter floruerit et intellexerimus, quod in aliquibus provinciis studium neglectum sit et notabiliter collapsum et ex hoc verisimiliter timeamus, ne in illis provinciis ordo veniat in contemptum, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod singuli priores provinciales in suis provinciis et vicarii eorum generales et diffinidores capitulorum provincialium provideant de studiis theologie, philosophie naturalis et arcium taliter, quod ad minus in singulis provinciis sint duo studia theologie et duo philosophie naturalis et duo arcium, in quibus deputentur lectores ad hoc ydonei et studentes, qui per diffinidores et provinciales compellantur per penas graves et preceptum, si oportet, legendo, studendo et disputando studio insistere et lectiones cum ceteris actibus scolasticis continuando cum diligentia exercere, quodque lectores principales in singulis conventibus compellantur lectiones continuare; inhibentes districte, ne lectores, qui suas lectiones in scholis non continuant quibuscumque graciis, titulo lectoratus gaudeant, nec lectores re nec nomine reputentur, provincias tamen Grecie et Terre sancte ad ista per preceptum nolumus obligare. Declaramus autem, quod fratres ex eo, quod fuerunt lectores vel priores, gracias nullas habent.

Item. Cum detestandam absentacionem fratrum a communitate refectorii plurima capitula generalia conata fuerint reformare, nequid invenerimus, quod iste tam gravis et tam detestandus defectus sit in provinciis vel conventibus reformati, considerantes, quod iste defectus pro maiori parte provenit a presidentibus in conventu, qui a sequela refectorii nimium se absentant, volumus et ordinamus, quod priores et suppriores refectoriorum continuent, nec ab illo se absentent, nisi ex causa multum necessaria et urgente et in casibus, in quibus per constituciones facultates comedendi extra refectorium ceteris fratribus indulgetur; imponentes districte prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod per absoluciones priorum et suppriorum et alias penas graves et confusibiles ad sequelam refectorii compellant in conventibus presidentes¹.

Item. Serenitati conscientiarum fratrum providere volentes, intimamus fratribus universis, quod magister ordinis concessit et concedit universis prioribus et subprioribus et eorum vicariis necnon et aliis fratribus alias ad consilia expositis legitime per eosdem, quod ipsi omnes fratres possint absolvire a peccatis, a quibus de licencia suorum priorum ceteri fratres mutuo se absolvunt communiter in propriis conventibus. Ad illa autem, que per suos superiores retenta sunt, nolumus, quod nisi de licencia priorum, suppriorum suorum super hoc speciali habita et obtenta potestas eorum aliqualiter se extendat; adiuentes, quod hiidem priores, suppriores et eorum vicarii possunt universis fratribus administrare extreme unctionis et eucharisticie sacramenta, dum ad conventus et terminos declinaverint eorumdem.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinacio facta in precedenti capitulo generali apud Lemovicam celebrato de libris conventuum et rebus sacristiarum non alienandis vel impignorandis vel quomodolibet distrahendis, nisi de consensu maioris partis conventus, necnon et de debitibus non contrahendis, nisi de consensu maioris partis conventus cum omnibus clausulis ibidem appositis necnon et ordinacio facta in eodem capitulo generali de modo concedendi litteras de beneficiis ordinis inviolabiliter observetur².

Item. Volumus et mandamus, quod vite et miracula sanctorum fratrum, qui obierunt per singulas provincias et conventus recollecta cum diligencia conscribantur et conscripta mittantur magistro ordinis Parisius vel ad sequens capitulum generale, et provinciales ista committant fieri in suis provinciis fratribus ad hoc aptis. Item. Ne ea, que sub specie religionis fiunt, ipsimet religioni pericula et scandala pariant, dum sine discrecionis tramite fiunt ac eciam sine suorum superiorum licencia, beneplacito, consilio et assensu, precipit magister ordinis in virtute sancte obedientie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater titulo cuiuscumque predicationis vel

¹ Cf. supra pag. 217 l. 9 sqq.

² Cf. supra pag. 224 l. 18 sqq.

peregrinacionis seu alio quolibet modo congregacionem virorum ac mulierum faciat seu factas et ad se confluentes regat vel ducat, nisi secundum modum hactenus in ordine consuetum. Si quis autem oppositum huiusmodi facere presumpserit, imponit magister ordinis sub precepto prioribus provincialibus et conventionalibus et eorum vicariis, quod talibus cum omni efficacia se opponant et eos a talibus desistere compellant et eos, qui in hoc casu sibi non obedierint, carcerali custodie deputent, invocato ad hoc, si oportuerit, brachio seculari.

Item. Omni districione, qua possumus, inhibemus, ne camere quibuscumque fratribus concedantur, nisi forte illis, quibus ratione officii vel status ordo hactenus concedere consuevit.

Precipit autem magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater extra quatuor loca per constitutiones concessa comedat, nisi in casu infirmitatis vel debilitatis, que a predictis locis illum rationabiliter excuset, iudicio presidentis; gracias quascumque huic ordinacioni contrarias sub quacumque forma verborum existant, eciam de revocatione earum expressa mencio fieri deberet sive a magistro ordinis sive a prioribus provincialibus sint concesse, denunciantes per magistrum ordinis penitus revocatas.

Item. Cum non sine magna nota cupiditatis in dampnacionem animarum suarum fratres aliqui sine magistri ordinis licencia omnes missas suas unius anni vel plurium annorum promittant et de facto conferant, cum de iure non possint, recipientes certas obvaciones annuas pro eisdem, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater amodo aliquid presumat facere predictorum, quin pocius priores conventionales per fratres sui conventus missas condividendo vel ebdomadarios statuendo de predictis ordinent et omnes obvaciones pro hoc exhibitas ad usum conventus recipient, quando talia fratribus offeruntur.

Item. Cum per graves importunitates multi fratres in magnam ordinis iacturam quam plures gricias a magistris ordinis et prioribus provincialibus obtinuerint, ita videlicet quod a sequela chori et refectorii sint exempti simpliciter vel pro magna parte, quodque questam non facere teneantur nec confirmari possint in priores sine suo beneplacito et assensu seu compelli ad idem, et quod non possint notari in tabula ad officia ordinis nec compelli ad predicandum nec mutari de certis conventibus et quod possint discurrere ad villam vel per terminos vel per provinciam sine suorum superiorum licencia speciali: omnes gracias supradictas quibuscumque concessas, sub quacumque verborum forma existant, revocat magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu; gracias eciam de successione rerum et librorum inter fratres necnon et quod possint ordinare de rebus suis quibuscumque fratribus concessas, cum ista naturam proprietatis sapient, revocat magister ordinis simpliciter et annullat de eorumdem diffinitorum consilio et assensu.

Item. Cum ex eo, quod multi fratres litteras habent a magistro ordinis, quod possint eligere provincias Grecie vel Terre sancte vel societatem peregrinancium inter gentes, sequatur incertitudo multorum, ad quas provincias pertineant, et harum pretextu frequenter vagi discurrent fugientes ordinis disciplinam, omnes istas litteras de diffinitorum consilio et assensu magister ordinis revocat simpliciter et annullat. Insuper et omnes litteras, per quas magister ordinis concessit quibuscumque episcopis vel fratribus, quod possint assignare fratres provinciis Grecie vel Terre sancte seu societati peregrinancium inter gentes, denunciamus esse a magistro ordinis revocatas. Commitit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus, quod de suis provinciis assignare possint quilibet eorumdem sex fratres provincie Grecie et sex provincie Terre sancte et sex societati peregrinancium propter Christum, voluntarios tamen et illesos in vita pariter et in fama; ordinantes, quod vicarii magistri ordinis super fratres societatis peregrinancium propter Christum fratres societati inutiles possint ad suas provincias remittere et eisdem assignare de consilio discretorum³.

Item. Cum per electionem fratrum professorum ab ordine subtrahatur eisdem occasio ad viam salutis anime redeundi, omni districione, qua possumus, inhibemus fratribus universis, ne quicunque magistro ordinis inferior presumat de cetero aliquem professum ab ordine eiicere sine magistri ordinis licencia speciali.

Item. Cum ex eo, quod aliqui fratres predicantes populo impingunt in status et personas prelatorum et clericorum, frequencius scandala oriuntur, omni districione, qua possumus, inhibemus, ne frater quicunque de cetero presumat talia attemptare.

Item. Cum fratres conventus Mediolanensis, in quo corpus beati Petri martyris requiescit ad honorem eiusdem gloriose martyris sepulcrum eiusdem hedificare incepint in forma et materia simile per omnia sepulcro beati Dominici, patris nostri, nec ad expensas tanti operis sufficient, exhortamur omni affectu, quo possumus, fratres singulos necnon et eisdem imponimus in remissionem peccatorum suorum, quatenus personis devotis eidem gloriose martyri suadeant, quod per suas elemosynas ad tam sanctum opus manus porrigant adiutrices; et quidquid inde receperint mittant reverendo patri magistro ordinis, quam cito poterunt vel saltem ad sequens capitulum generale.

Item. Cum studentes diversarum provinciarum missi per magistrum ordinis titulo studii ad alias provincias per instancias aliquorum inveniantur interdum deficere in moribus et sciencia, concedit reverendus pater magister ordinis prioribus provincialibus, de quorum provinciis tales assumuntur, quod, sive per magistrum ordinis sive per alium auctoritate magistri ordinis tales assignati fuerint studiis aliarum provinciarum sive studio proprie provincie, possint ipsos provinciales revocare ad suas provincias et conventus et absolvere a studiis, provinciis et conventibus antedictis.

³ De societate peregrinantibus propter Christum cf. supra pag. 175 l. 1 sqq.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum reverendi patris magistri ordinis de non eundo ad Romanam curiam sine sua licencia speciali et sentencia excommunicationis per eum lata super hoc apud Divionum in capitulo generali, durant continue modo et forma, quibus in eiusdem actis capituli continetur⁴.

Iste sunt penitencie.

Absolvimus priorem Haverfordie in penam, qui sine maturo consilio compositionem suo conventui preiudicialem et ceteris conventibus tocius provincie periculosam presumpsit facere et firmare.

Item. Absolvimus priorem Bangorie in penam, quia contempsit venire ad preceptum sui visitatoris et vicarii provincialis actu conventum Bangorie visitantis, cum tamen venire potuisset.

Item. Privamus fratres Ricardum Chelle et Thomam Alvertona et Mauricium Neuery eligibilitate in socios ad capitulo provinciale per duos annos, quia, cum essent socii aliquorum conventuum, non reportaverunt suffragia pro vivis et mortuis, que erant posita in actis generalis et provincialis capituli, ad suos conventus, sicut facere ex consuetudine ordinis tenebantur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Ungarie.

Absolvimus priores conventuales: Cestrie, Kerdinie, Bregonie, Rodolani, Novicastri subtus Limam, Stanfordie, Bristollie, Wyncestrie, Leyceстrie.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus, isto anno ad eadem officia non resumantur.

Significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis in hoc presenti capitulo non mittit aliam litteram per totum ordinem in actis, sed loco littere mittit copiam bulle domini pape directam magistro ordinis et prioribus provincialibus et fratribus nostri ordinis, mandantes et imponentes districte, quod ad omnes provincias et singulos conventus nostri ordinis copia dicte bulle cum actis capituli generalis integraliter deferantur.

Facimus vicarium generalem in provincia Ungarie fr. Franciscum de Beluno⁵ de provincia Lombardie inferioris usque ad sequens capitulo generale; et volumus et ordinamus, quod fratres de provincia Ungarie suum capitulo provinciale non celebrent, donec dictus frater Franciscus eorum vicarius in provincia Ungarie presens extiterit, et tam de loco quam de tempore provincialis capituli eorum nunc instantis ordinaverit, prout iudicaverit expedire. Quod si secus actum fuerit, totum capitulo et quidquid in eo fieret esse volumus irritum et inane. Concedimus provincie Tholosane unam domum ponendam in portu sancte Marie dyocesis Agenensis.

Item. Concedimus provincie Anglie unam domum ponendam Tetfordie dyocesis Norwicensis.

Item. Mandamus et districte imponimus singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis, quod mittant infra sequens capitulo generale fratri Poncio de Flisco procuratori ordinis in curia Romana pro qualibet provincia tres florenos.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Iohannem de Meleembergh de provincia Saxonie⁶.

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Herbertum Senonensem de provincia Francie.

Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Peregrinum de Mercatore, magistrum in theologia de provincia Tholosana⁷.

Item. Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Iohannem Mantuanum de provincia Lombardie inferioris.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, bacalariis et lectoribus biblie ordinet, prout generali utilitati ordinis noverit expedire. Letania et salve regina more solito dicantur. Sentencias iudicum approbamus. Sequens generale capitulo assignamus in conventu Brugensi in provincia Francie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alias, eciamsi licenciam habeat, intret locum capituli ante feriam · viam · festum penthecostes immediate precedentem.

Summa missarum pro vivis · li ·

Summa missarum pro defunctis · xxiii ·

Actis additae sunt litterae Benedicti XII; cf. BO. tom. II p. 218 n.I.

⁴ Cf. supra pag. 131 l. 1 sqq.

⁵ De fr. Francisco de Beluno cf. SSOP. I. pag. 640; DENIFLE l.c. pag. 500, 526, 538, 595.

⁶ De fr. Ioanne de Meleembergh cf. supra pag. 227 l. 32.

⁷ De fr. Peregrino de Mercatore cf. supra pag. 215 l.7.